



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Antonii Milliei, Lvgdvnensis, E Societate Iesv, Moyses
Viator**

Millieu, Antoine

Lugduni, 1636

IV. Sacrum Paschalis Agni: Plaga decima; Primogenitorum cædes: exitus
ad Nubis & Columnæ exortum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69066)



LIBER QVARTVS.
 AGNVS PASCHALIS,
 CÆDES PRIMOGENITORVM,
 COLVMNA, ET EXITVS.

I **A** TQVE ea dum totâ Egypti ditione geruntur,
 Afflictaq; gemunt vrbes, vastatâque rura,
 Jam propè decurso Titan flectebat Olympo,
 Phryxæaq; premens pecudis stellantia terga
 Equatas luci & tenebris descripserat horas,
 Lunâque prima sacro primordia duxerat anno:
 Libertas vocat Isacios sperata nepotes.
 Jam Pharos agnoscit manifesto in vulnere causas
 Frarum; & quanquam Pharaos durescit ab ictu,
 Corda remollescunt populi, veniamque timentes
 Hebraeis domini indulgent: ergo undique campis,
 Undique paulatim dilapsi ex urbibus omnes
 Coguntur patriam in Gessen, quam Numinis umbo
 Protegit, & Moses, ut murus aheneus ambit.
 Haud aliter glomerantur aues, ut aprica renisant
 Hospitia, Autumni primo cum frigore signum
 Presagis edixit hiems: ruit undique syluis
 Turba sonans alis: it longè ad Strymona clangor,
 Et peregrina mouet tepido procul æthere castra:
 Transportant teneram gentem, fœtusque recentes
 In medium cogunt agmen, pennisque ministrant:
 Adspirant aura à tergo, ventique ferentes.

Conueniunt Is-
 raëlita in
 Gessen.

Veris ini-
 tio.

Grues
 migratu-
 ris.

Sic

Sic lati Ifacida cunctis è finibus adsunt,
 Matres, atque viri: sua cuique electa supellex
 Supposita ceruice sedet; totasque coactis
 Fascibus inuoluere domos, & vertice gestant.

Sua om-
 ia aspor-
 ant.

Nati affectantur dulces, vel ad ubera pendent:

Feruet iter, nec iam hospitibus Gessenia tellus,

Nec vicina satis Rameesses moenibus ingens

Sufficiunt; puro subtendunt carbasa caelo,

Aut ramis fixere casas, & frondibus umbram

Castra ad
 Rameesse.

Ad paucos fecere dies. Ipse ordine Moses

Castra locat, scinditque vias, patribusque vocatis

Alloquitur Tribuum primos, & fata recludit.

Spissum humeris circum tenet alta silentia vulgus.

Abramida sancti, gens alto è sanguine Divum,

Totque olim genitura Deos, qui sidera vincant

Et numero, & claro gestarum lumine rerum;

Quam caelo tua cara salus nunc denique constat,

Coram oculis, interque manus tot pignora vestras,

Quae modo mactatis posuit Deus hostibus, extant:

Quae quamvis sunt tanta; tamen proludia solum

Millenium scitote operum, quae dextra Tonantis

Perficiet, vos ut promissis inuehat aruis,

Et super expansas deportet molliter alas:

Nunc quid opus facto, mentes aduertite, dicam.

Hunc primum Deus omnipotens in mensibus anni

Esse iubet, primaque sacras aperire Kalendas

Luce nouae Luna, cuius bis septima plenum

Noctibus aequatis luci monstrauerit orbem.

Mysticus hinc vestris Nisan exordia Fastis

Incipiet, festosque dies ex ordine ducet.

Hinc soles numerate decem, decimoque tenellum

Anniculum, expertem macula, vitioque carentem,

Egregium, sexumque marem seponite caulis,

2
 Docet
 Moses,
 quid opus
 facto.

Nisan, pri-
 mus me-
 sis anni
 sacri.

Agnus
 Luna de-
 cima se-
 gregan-
 dus.

H 2

Aut

116 MOYSES VIATOR.

- Hædus agni vice.** *Aut agnum, aut eisdem selectum ritibus hædum,
Quisque suas inferte domos, sua cuique legatur
Hostia pro capitum numero, quibus unica possit
Sufficere, & letis operatos pascere mensis.
Si qua minus populosa domus non sufficit agnum,
Solennésque dapes una consumere cœna;*
- Pro epulonũ numero.** *Invitet tenues epulis, vicinæque pauper
Condicat domus, ut nullas lux postera tectis*
- Reliquiæ absumendæ igni.** *Reliquias agni inueniat, semesæve membra,
Quidquid erit super, ignis edax absumet eodem,
Vespere, nec quicquam reliquum servare liceto.
Polluerit quicumque sacrum, reus, & sacer esto.*
- 3 Luna decima-quarta immolatus.** *Quarta at post decimam pleno cum Cynthia vultu
Verget ad occasum quarta iam parte diei,
Conueniat tunc casta domus, festoque paratu
Ad nova succincti procedant sacra ministri.*
- Ritus immolationis.** *Ipse domus pater, aut senior, supponere cultros
Audeat: at reliqui, matres, natique cruorem,
Excipiant pateris, calidumque ad limina seruent,*
- Sanguis aspergendus portis hyssopo.** *Mox humilem hyssopum, cedrique ex arbore virgam
Nectite coccineis lanis asperginis ergo:
Sanguineum foribus tum largè inspergite rorem,
Tingantur gemini portarum à cardine postes,
Et superum limen: rubeat signata cruore
Frontibus externis facies Hebræa domorum.*
- Aueruncus.** *Id refert: erit ille cruor nota certa salutis,
Cum mediâ mox nocte Deus transierit ultor.*
- Phase.** *Nam PHASE EST Domini non caca Transitus ira,
Scrutatúsque lares Pharios latè omnia ferro
Fœdabit, primasque absumet funere proles.
Agnoscat de fronte domos: tum, si, qua cruentos
Sanguine paciferi postes non offerat agni,
Irrumpet, iugulosque petet discrimine nullo,
Neglectosque*

Neglectosque domus magno luet impia ritus.
 Ergo suo quisque hinc capiti, vitæque suorum
 Prospiciat, sacro obvallans sua limina signo.
 Nemo pedem tectis nocte illa impunè reclusis
 Extulerit: septos portis seruate penates
 Quisque suos: lux inueniat vos prima paratos.
 His actis, aptate focos, componite ligna,
 Tum spoliata sua nudetur vellere lana,
 Integra traiectis assetur ut hostia virgis:
 Ossa nefas prorsus minuisse, aut frangere crura,
 More nefas quicquam crudum gustare ferino,
 Aut quicquam elixum mollire tepentibus undis.
 Intestina adeò puris prius indita lymphis,
 Extaque fixa veru viuos voluantur ad ignes:
 Intestina, pedes, caput intemerata voranto.
 Reliquias omnes eadem mox nocte cremanto.
 At dum transfixi fumant hastilibus artus,
 Corruptam Cererem fermento excludite tectis,
 Et cinere incoctam mensis inferte farinam,
 Septem continuos celebrabitis Azyma Soles
 Crustula, que Pharij quondam monimenta laboris,
 Proptereaque epulis succos addetis agrestes,
 Lactucas acres, & amaris intyba fibris.
 Stabitis ad mensas, cinctu, soleisque parati
 Ire viam, in caliga, & baculis vestigia nixi,
 Tanquam ad iter; rapiuntque dapes carpetis edendo,
 Ceu festinatis properata viatica mensis.
 Precipitare fugam velox occasio coget.
 Non tamen hinc vacuos, iustâ aut mercede carentes
 Dimittet Deus, exunias auferre licebit
 Aegypti, variaque graues ditescere gaza.
 Accipite à Phariis vestes, argentea vasa,
 Aureaque, & coccum, & gemmas, quorum indiget usus

Clauſa
domus

4
Affandus
totus.

Oſſa non
frangenda.

Caput
vorandum,
pedesque.

5
Celebri-
tas Azy-
morum.

Lactucæ
Intyba.

Proci-
sus.

6
Spoliandi
Aegyptij.

118 MOYSES VIATOR.

*In pompam, & sacros festi solennis honores,
Latitiamque, epulasque Dei, dabit omnia largè
Memphis, & Hebrais ultrò spoliabitur aris.
Nam Deus hæc vobis, cuius sunt omnia, donat;
Gratiæque, & meritum id poscunt, & iusta potestas.
In decimam & quartam cuncta hæc componite Lunam.
Magna erit illa dies omni memorabilis ævo.
Postera nox etiam toti celeberrima mundo,
Direpta Aegypto Isaciis à morte receptis.*

7
Agit gra-
tias po-
pulus.
*His dictis, animos populi veneratio pronis
Vultibus ad terram sternit, passimque prementes
Fronte solum, tanto grates pro munere solvunt:
Principibus Moses eadem per singula tradit
Inculcans; operum partes & munia mandat:*

Iosephi
offaspor-
tanda.
Exod. 13.
19.
Gen. 50.
24.
*Admonet Elysamam maturè colligat ossa
Iosephi, quondam peregrini sede sepulcri
Deposita ad tempus, donec fortuna reuertens
Diuidat Isaciis pinguem Chananæida turmis.
Prospexit tumulum moriens, longèque salutans
Lecta Sichemeos transferri iussit in hortos:
Hic æterna domus cineri, quam vendidit Hemor
Isacida centum pactus pro cespite tonsas,
Sacrauitque locum positus Israelius aris.*

Gen. 33.
19.
*Maluit illo humilem cippum Iosephus agello,
Quam titulis celsas moles, inscriptæque saxa.*

8
Mutuatio
vaforum
& vestiū.
Saturna-
ia.
*Nec mora, digressi diuersa per oppida captant
Iam molles Phariorum aditus: nam deflua cælo
Gratia conciliat pronas in munera mentes,
Municasque manus aperit, gazasque recludit.
Omnia certatim matronæ scrinia pandunt,
Et pietas fauet ipsa sacris, cupiuntque videri,
Laudarique suos sublimi pegmate cultus.
Iam Romana putes hic Saturnalia fingi:*

Ancillas

Ancillus comunt domina, Memphitides ardent
 Hebraeas ornare nurus: ha crinibus aurum,
 Ha gemmas aptant digitis; illa auribus addunt
 Pragrantes pelagi baccas, pretiumque rotundi
 Candoris memorant, & quo sub gurgite Nerei
 Roscida siderea concrevit gutta pruina;
 Vermiculata alia cinxere monilia collo,
 Aurificum pretiosa manu: iam pectora circum
 Armilla, & vario currit murenula flexu.
 Heliadum lacrymas, Clymeneiaque germina vulgo
 Exposuisse pudor; quin & plebeia putantur
 Crystalla, & nullum meruere corallia nomen.
 Quid memorem lapides Indos, vinctasque coronis
 Gangis opes, sectasve scyphis in pocula gemmas?
 Aut quid ego Assyrii succos consector aheni?
 Et Babylonis acus, & Serum vellera textu
 Multiplici, volucrum variis spirantia formis?
 Staminaque in texto vibrantia blandius auro?
 Addunt Isiaci crepitacula plurima sistri,
 Tympanaque inclusis argento tinnula lamnis:
 Et, quae in foemineis prima est insania nugis,
 Grandibus e gemmis speculares vultibus orbes,
 Et doctas discrimen acus afferre capillis,
 Queis radians capulos adamas prefixus adornat.
 Adde unguenta, crocos, minium, cretamque: quid
 ultra?
 Et quis erit finis, tantum si nomina tangam?
 Foeminei nam sine carent miracula mundi.
 Bezeleel tamen hinc augustum digeret aurum;
 Inscia materiam parat in sacraria Memphis.
 Pulchra viros magis arma iuuant, & mutua tollunt
 In triduum, quod sacra iubent; seu forsitan ad aras
 Pyrrhica conueniat simulacra ciere sub armis,
 H 4 Belligerosque

Gemma.

Vestis
varia.

Sistra.

Specula.

Acus.

9
Viri arma
petunt.

120 MOYSES VIATOR.

Belligeròsque agitare choros, & clangere recto
Aere, vel incuruo pugnas accendere cornu.

Haud tamen obliti fèstos sibi sumere cultus

Et vestem
etiam.

Murò, barbaricis latè fulgentia bullis

Cingula, purpureòsque sagi campestris amictus,

Plumantèsque apicum cristas, braccàsque fluentes;

Et picturatas fixa in tentoria pelles,

Omnia propenso Pharyj que pectore prabent,

Vt sibi placatum noua præstet gratia Numen.

Reliquias atani intereà, cinerèsque sepultos

10

Iosephi
ossa, & se-
pulcrum.

Vestigat pius Elysamas, & nocte silenti

Cum paucis tumultum ingreditur. Procul impia vanis

Fabula figmentis, rugas que monstrat aniles,

Rabbini-
ca fabula
de oue Io-
sephi in-
dicante
ossa.

Nec Phœbum, Musàsve decet. Stagnantibus aruis

Amne superfuso pecudem monstrasse natando,

Iosephi que super monumentum hæsisse, loquuntam:

HIC IACET: hoc positus tumulo, quem queritis Heros:

Hic aperite solum; subter Nereides antro

Accipient: stabili fluminis suspenditur arcu,

Iosephi ne membra grauet, nève obruat urnam.

Pf. 79. 2.

O pecudes! qui sic pecudem fecère loquuntam,

Ductorémque Dei populo talem ore dederunt,

Monstrantémque vias, dubiàque in sorte moentem;

Sicut ab Argoà factum meminère columbà.

Nugis
Rabbini-
cis par-
cendum.
Et fabulis
in sacra
Historia.

Nil vanis opus inuentis: nimis omnia Moses

Humanà maiora fide miracula pandit,

Queis fucum castos scelus est inducere Vates.

Et tua me, Theodecte, nimis tectoria terrent:

Historiam sequor, & connexa simillima vero:

Hic labor est, veros actus aquare canendo.

Non obscura adeò fuerant benefacta parentis,

Illius ut bustum possent nescire nepotes,

Quod Memphim iuxta, eximiis insigne columnis,

Et

Et Pharao, & populi memores, gratique locarant ;
 Nunc virgulta premunt densis asperrima dumis ,
 Horrentesque tegunt sylva nigrantibus umbris :
 Nam populi fortuna loco detraxit honorem.
 Restituent olim Musæ, si quid pia possunt
 Carmina , runcabunt vepres , longæque reuulsis
 Ruderibus sculptas pandent in marmore voces ,
 IOSEPHE , ÆTERNA IUVENIS DIGNISSIME VITA ,
 Qua tua te virtus , Mosésque beavit Apollo.
 Elysamas nocturnus adit , vepresque per ipsos
 Cum sociis molitus iter, sculpta omnia sacris
 Saxa notis lustrat, patrias restantia laudes ,
 Aeternumque decus inuenis. Comes addita VIRTUS
 Invidiam docuit superare ingentibus actis ,
 Casibus exercens variis : ea prima inuentam
 Moribus effinxit castis, auersaque longè
 Lumina, flagitiis auersas turpibus aures
 Flexit ad innatum, cultumque labore pudorem,
 Hinc meritis quasitus honos, senioque parentis
 Spes, & amor, quos eximia puer indole firmat ,
 Et virtute pari : nec dissimulavit amorem
 Præcipuum genitor ; florenti stamina textu ,
 Florentemque manu , & filo variante colores
 Induxit puero tunicam, quo munere mundi
 Delicias vates toti præfagiit orbi :
 Hinc odij seges, & iaculis horrentia fratrum
 Iurgia , qua laceram vestem tinxere cruore
 Hædillo, puerumque lacu mersere profundo
 Infontem , & frustra lacrymis & voce monentem
 Parceret ipsa sibi impietas, patriæque senectæ.
 At simul in foueam Virtus comitata iacentem
 Descendit ; limo eductum, pretioque repensum
 Fida comes lateri Pharias sectatur in urbes.

II
 Virtutis
 monimēs-
 tum in
 Iosephi
 tumulo.

Castimo-
 nia.

Patrius
 amor.

Tunica
 polymita.

Invidia
 fraterna.

Sapientia
 cum pue-
 ro in fo-
 uea.
 Sap. 10.
 13.

H s

Hic

122 MOYSES VIATOR.

Vendit in Ægypto.
Fides in dominū.

Hic summum virtutis opus, quod fama renarret
Perpetua, aeternūque velit meminisse iuuentus
Post vigiles famuli curas, fideique probata
Argumenta, quibus domini pax alta, quiesque,
Et magne fortuna domus suffulta resedit.

Horror
flagitij.

Illecebras domina primæuo in flore iuuenta,
Blanditiāsque, humilēsque preces exosus amantis,
Iniectāsque manus, horrens compressa reliquit
Pallia, & attactā temerari veste refugit.

Forma &
pudicitia
fæderata.

O probitas! ô cana fides! ô denique CONCORS
RARA PVDICITIÆ SPECIES! hic forma, pudorque
Conueniunt, iuuenilis eos confæderat etas,

Lilium in
spinis.

Inter & hirsutos canescunt lilia vepres.
Et tamen indigna placuit tentare catasta

Libertas
in vincu-
lis.

Ingenuos adeo mores: SED LIBERA VIRTVS
Vincla nequit gestare animo, nec compede seruit
Vincla, sed in caco clarescens carcere regnat,
Mendacemque domans famam, de nocte triumphat.

12

Reliquias
Iosephi
veneran-
tur nepo-
tes.

Elysamas hæc marmoreis extantia formis
Prima in fronte legit tumuli, lacrymisque madentes
Circumquaque ferens oculos, præclara reuoluit
Facta Patrum, rerūque etiam dulcedine ductus
Longius iret adhuc, nisi iam clarescere lucem
Nunniades ardens moneat, foribusque sepulcri
Saxum ingens, quo tecta latet spelunca, reuollat.
Ut paulum commota silex, compage soluta,

Odor vir-
tutum Io-
sephi.

Balsamens subit ora vapor, ceu stactea sudent
Arbusta, aut Arabum fundant narthecia messes.
Non myrrha, non malobathri, casiaue liquentis;
Virtutum fuit ille vapor, quem sancta seueris
Ossa pudicitia studiis condita refundunt.

Venera-
tio.

Ut patuit spelunca, sacro præcordia sensu
Omnibus emibrata; tremunt genua ægra, silentque

Effusi

Effusi in lacrymas. Ductor mox voce recepta,
 Salve, inquit, venerande Parens; saluete, verendi
 Auguriis cineres, quibus est post funera tanto
 Tempore concessum ventura enoluere fata;
 Vos erumnarum socij iacuistis iniqua
 Aegypti tellure decus, tutelâque gentis;
 Et duri exiliy comites, ceu pignora vestra
 In fratres fidei, tumulto caruistis auito.
 Haëtenus: hinc tandem liceat migrare volentes
 Nobiscum, comitesque via; succedite campis,
 Mansuras ubi sancta domos oracula spondent:
 Hic pater Isacides vobis in iura sepulcri
 Mensus agrum expectat cineres, urnasque nepotum.
 Illa resurgentem cernet plaga proxima Solem,
 Prima sepulcrales reddet terra illa fauillas.
 Tum plerique suo Sancti cum Principe surgent:
 Deferet illum etiam vobis tunc Christus honorem,
 Hoc quoque Iosephi Virtus feret INCREMENTVM.

Hec ait, & sacra libat prior oscula cedro,
 Presentes veluti venerans in puluere Manes,
 Ingentem Iosephi animam: mox ordine plenis
 Coniiciunt socij manibus post oscula flores,
 Sublatâque humeris urna subiëre feretro.
 Tum super admoto clauserunt ostia saxo.
 Palladium Aegypti sic furtim in castra reportant;
 Instantem trepidat Memphis spoliata ruinam.

Jamque dies funesta Pharo bis septima mensis
 Ardentem extulerat ferali lampade Lunam,
 Quae cursu propè iam medio compleuerat orbem,
 Cum croceis Aurora rosas aspergeret ortus,
 Deuotâque sacris puro Sol aureus axe
 Inueheret lucem, Isacis quae meta laborum,
 Seruitusque suprema fuit: festo omnia totis

Protinus

Prophe-
 tant ossa
 Iosephi.
 Gen. 50.
 24.

Aliorum
 Patrum
 iam erant
 translata.

Probabile
 surrexisse
 cū Chri-
 sto Iose-
 phum.

Palladiū
 Aegypti.

13
 Luna de-
 cimaquat-
 ta Agni
 Paschalis
 celebra-
 ta.

124 MOYSES VIATOR.

Protinus ad pompam castris feruere paratu,
 Et faustam saluere diem, saluere parentum
 Magnanimos Manes, expectatamque tot annos
 Prae manibus sine fraude fidem, praesentia caeli
 Munera, praesentesque nouo cum pignore palmas
 Aegypti gazam in manibus, Memphimque remissam
 Inuidiam tot damnorum redhibere benignam
 Exuias, & dona sacris: iam consona rebus
 Dicta antiqua Patrum, veraxque per omnia Numen.

Præpara-
 tio sacri.
 Pura om-
 nia.

Ergo alacres instant operi, tectisque frequentes
 Conueniunt, manibus castis, animisque parati,
 Quo ritu docuit Moses populumque patresque,
 Secubuerè thoris, puraque in veste nitentes
 Ad mouere manus sacris: fas omnibus illa
 Luce Sacerdotum vittis, & munere fungi.

Omnes
 eo die sa-
 crificant.

At senio defertur honos imponere dextras
 Deuoto capiti, & iugulo demergere cultros.
 Infantes pueri circum, teneraque puella
 Virgineis gaudent manibus contingere molles
 Certatim pecudis villos, argutaque mistis
 Oscula blanditiis, & sparsos addere flores,
 Solamen puerile, necis vitalis honorem.

Azyma.

Expediunt Cererem matres, purisque farinam
 Intritam lymphis subigunt, & liba rotundant,
 Subiiciuntque orbes cineri, prunasque reponunt.

Cœna cõ-
 munis.

Communes epulas alij consuetaque curant
 Fercula, quae solitis fas est praeuerrere mensis.

Ad vespe-
 ram Lu-
 nae deci-
 maz quar-
 ta im-
 molatio
 Agni.
 Mensa,
 altare.

Mystica deinde loco succedit cœna secundo.
 Dum loquor, & pinsunt matres, fugit hora; ruentem
 Pronus in occasum Titan vix sustinet axem,
 Et cunctas monet hora domos. Stat mitis ad aras
 Hostia, balatumque premens, & sponte supina
 In tabulam, tabula ara fuit, mensa omnibus ara,
 Insertatque

*Infertátque pedes vinclis, & gutture ferrum
 Accipit haud ignara, sacro ceu percita sensu
 Ipsa cruore suo diuinos poscat honores,
 Hebraísque velit moriens auertere mortem.
 Vix lacrymas tenet vlla domus: mysteria Moses
 Differuit, docuitque rudes, umbrásque reclusit:
 Sed quantum pingui poterat gens dura Minerva.
 Nec tristes ibant lacrymae, pia gaudia mentes
 Sollicitant, salit insueta dulcedine pectus.
 Vt roseum pateris agni excepere cruorem,
 Ceu pretium vitæ ostentant, pignúsque SALVTIS
 Gratantes, calidúmque domorum ad limina portant,
 Valuarúmque linunt postes. Inaratur vrrinque
 Littera, quæ vitam redimat CRUCE mortiferum*

THAV:

*Tessera, discrimen vitæ, mortísque tremendum;
 Diripiunt alij vellus, verubúsque trementes
 Traiiciunt artus, & decussata bacillis
 Expandunt membra ad prunas, & viscera torrent:
 Agrestes alij fibras, atque acria succis
 Condimenta parant; largo sparguntur aceto,
 Lactuceq; graues somnis, cichoreaque renum
 Purgatrix, & quæ stimulant nasturcia mentem;
 Ocyma cantatis meliùs crescentia diris,
 Aut acres, quas cuique suus tulit hortulus herbas.*

*Ut dapibus iam prima fames sedata profanis,
 Surrexere thoris omnes; mensásque remorunt,
 Fermentum exturbant tectis, penetralia verrunt,
 Tum puris lustrantur aquis, puraque renident
 Sindone succincti, & puro velantur amictu.
 Includunt suras ocreis, vt cuique facultas,
 Aut crudo perone tegunt; pars spartea neçtit
 Vincla pedum, aut molli plantas inuoluit alutâ:*

Aptantur

Cæremo-
nias Mo-
ses inter-
pretatus.

Sanguis,
antidotú
mortis.

Tingútur
postes.

Thau.

Affatur
hostia.

Condi-
menta a-
mara, a-
cria.

14
Sacrae cœ-
næ initiú
reieto
fermento
omni.
Vestes
puræ.
Calcei,

126 MOYSES VIATOR.

Baculi.

*Apertantur radij dextris : hoc deinde paratu
Circumstant epulis structos paschalibus orbes,
Attonitis similes : infert veneranda stuporem,
Religio, ipsa pios epulones hostia terret.
Augustas violare dapes obtutibus horrent.
Inchoat ipse domus pater, hortaturque precando.*

Preces
parrisfa-
miliās.

*Summe Sator mundi, qui nos his sistere mensis,
Solennique iubet celebrare Charistia cultu,
Fac memores, gratique tuos tractemus honores,
Atque ita mactati vescamur carnibus agni,
Cuius sanguine nunc servas à morte diremptos,
Illius ut prima quem casum ab origine mundi
Diceris ostendisse orbi, saeculisque futuris,
Participes, mensaeque velis nos esse sodales,
Et Pascha aeternum pactis tibi solvere campis.*

Significa-
tio mysti-
ca.

15
Festinan-
ter come-
ditur.

*Sic ait, & carpens epulas in frustra placentis
Adiicit, & puram Cererem paritur in omnes :
Illi avidè, & properanter edunt, Cereremque, ca-
lentisque*

Efficaci-
tas sacrae
dapis via-
tica.
Sensus a-
nimorum
mirabiles.

*Agni artus, animisque sacros, & pectore motus
Concipiunt, vegeti membris, & mentibus ardent.
Mortales curas, siliquas, luteosque labores
Fornacum obliti, liquidi penetralia cordis
Spirantes caelo pandunt, & caelitus auram
Luminibus caelo affixis ex aethere ducunt,
Singultusque cient placidos, & crebra gementes*

Alacritas
viatorū.

*Affectant patriam lacrymis; inuat ire per omnes
Terrarum, pelagique plagas, & frangere dextris
Obstantes scopulos, & mille laceessere mortes,
Et quae Tartareis erumpant cunq̄ue caavernis
Sternere monstra manu, vitamque tenere cadendo.*

Magni
omnium
animi.

*Idem omnes simul ardor habet; nec sexus, & aetas
Discrimen fecere: nihil iam debile virtus*

Inuenit,

Inuenit, & nulli tot iam inter millia morbi,
 Nil languens, aut molle iacet: stant omnia sanis
 Corporibus. Nihil est epulis vitalibus Agni
 Et morti commune, valent, pollentque potiti
 His dapibus, velut ambrosia: mirabile visu!
 Viscera magnanimos faciunt agnina leones:
 Deque feris iterum fecere leonibus agnos:
 Agnus enim atque Leo iungunt his pascua mensis;
 Et puer alludens medius permulcet utrosque,
 Concordique animo placidos in pabula mittit.
 Non si forte mero stagnent mihi nectare fontes
 Castaly, Cyrrhaeque, fluant in mella liquores,
 Enumerem teneros sensus, quos Gratia mouit
 Pectoribus, neque quos accendit mentibus ignes
 In rudibus quanquam populis, sub imagine muta,
 Sublustres umbras inter, Solémque cadentem.
 Heu! miseros, queis clara dies, & lucis adulta
 Nec feriunt oculos radij, neque lucida tela
 Configunt animos! cecis heu sponte tenebris
 Mersi hominum mores, & mente carentia corda!
 Nos Agni teneros artus; nos ossa, caputque,
 Infractosque pedes, ardentiisque ignibus exta
 Triticea sub fruge edimus; nos intus Agni
 Spiritus intus alit tectis sub farre medullis:
 Hic totum simul esse licet sub imagine crusti,
 Quod nunquam potuere Patres implere vorando,
 Ut conuiua caput, simul integra manderet ossa,
 Infractosque pedes; diuino munere tandem
 Inuentum est, nobisque datum: nos integer intras
 Victima Christe, tuis quoties accumbimus aris.
 Ingeniosus amor Cereali polline totum
 Abdidit, assatumque tuos te torret ad ignes,
 Sic reliqui nil fecit AMOR: nam totus in ignem
 Agnus

Sanitas
 omnium.
 Psal. 104.
 37.

Fortes
 omnes &
 mites.
 Agnus &
 leo. Isai.
 11. 6.

Typus
 etiam mi-
 rificus
 veri Agni
 in umbris.

16
 Heu! lan-
 guens fi-
 des mul-
 torum nunc
 in verita-
 te Eucha-
 ristiae.
 Nunc re-
 uera inte-
 ger Ag-
 nus edi-
 tur.
 Caput &
 pedes in
 S. Eucha-
 ristia.

Nullae
 hic fiunt
 reliquiae.

128 MOYSES VIATOR.

Agnus iit, totusque hominum DECOXIT amore:
 Efficacitas in Sacerdotis. *Hoc pasti repetunt humana Lycaones ora,*
Exiitque lupum, Christo qui vescitur Agno;
Nam furor est per stare lupos, Agnumque comesse.
 Azymorum puritas morum. *Hoc etiam priscos docuerunt azyma patres,*
Libaque synceris Agno sociata farinis;
Qui ritus scelerum sordes abstergere suadet,
Nequitiam prorsumque animis eliminat omnem.
 17 Allegoria docet Moses. *Sed Mosis memoranda fides, & spiritus ardens*
Eminet. Ille dapas inter quamplurima fatus
Connuas docet attonitos, & mystica dona
Enucleat: rerum nubes, arcanaque signa
Explicat, excedens animo, sensusque relinquens
Torquentes; fruitur Superis, & Numen anhelat
Corde premens: tales pleno dat pectore grates.
 Eucharistico Mosis. *O domus Abramidum, caeli lectissima proles,*
Nunc age, nunc gratare Deo, gens regia tantis
Digna ministeriis, perfunctaque munere sacri
 Grates agenda. *Unguinis augustos ad summi Regis honores,*
Exulta in Domini laudes, imisque sonantes
Visceribus iacta in caelos, & sidera voces
Letitiae. Deus, ecce Deus tibi ductor, & auctor
 Vix dux viaticum. *Libertatis, iter pandit: nihil auspice tanto,*
Nil rectore tibi deerit. Videntur ubera gleba,
Et campos lacte irriguos? hic pabula leta,
Hic promissa quies, facilesque in pinguibus aruis
Deliciae: neque spes ultra te longa fatiget:
 Procinquus. *Vadimus: in pedibus pelles, substrictaque cinctu*
Vestis, & in manibus virga; dapibusque refecta
Corpora. Quod superest tuto stant limina vallo,
Ipse fores Agnus signatas sanguine seruat:
 Dux fides in columna. *Excubias agit ille cruor. Iam castra mouendi*
Signa canent: Deus ipse viam signantibus astris
 Expediet.

Expediet. Felix! ô felix sera nepotum
 Posteritas; quibus hæc propius spectare licebit,
 Æthereique Agni pateris libare cruorem,
 Et vescos castas artus sacrare per aras!

Ecclesia
 felicior.

Felices dapibus veris, & munere cæli!
 At nos interea vacuis dum vescimur umbris
 Contenti, sub nube procul speculamur honores,
 Christe, tuos cæcas inter caligine gentes,
 Spe memores, gratique tua viuemus in umbra;
 Calcantésque viam tua per vestigia, sacclis
 Vtranque in partem dabimus documenta futuris.

Synago-
 ga in um-
 bra Chri-
 sti.

Sic ait, & paucis hæc intellecta loquutus
 Tecta iubet claudi, & seruare silentia clausis
 Intentos ad iter, tenuésque accersere somnos.
 Ipse Dei perstat pernox exposcere pacem.

Domus
 clausa.

Tempus erat, quo Luna vago decrescere vultu
 Incipit, & plenum fluxa luce alterat orbem:
 Iam medios cursus nox intempesta tenebat
 Inuoluens terras, cælumque silentibus umbris,
 Et Phariis latè campis, cunctásque per vrbes
 Plagarum oblitas gentes sopor altus habebat,
 PRÆTERITI iuxta immemores, cæcásque futuri.
 Cum Pater, in cuius manibus numerata tenentur
 Omnia, & aeterno fixum stat tempus in æuo,
 Ante oculos scelerumque modi, mensuráque certis
 Finibus accumulanda patent, pœnæque sequentes,
 Præsto adstant; iubet aligeras capere arma cohortes;
 Ductoremque monet nutu, queis stragibus illos,
 Quaque velit seuire tenus. Ruit impigra cælo
 Per tenebras ignita phalanx; lucem arma dederunt
 Fulguribus similem longis, tractúque per umbras
 Ingenti fecere diem; cœn nubibus atris
 Mille ruant ignes, anulsaque sidera cælo.

18
 Nox fa-
 talis Æ-
 gypto.
 Sap. 18.
 14.

Mensuræ
 peccato-
 rum plenæ.

Angeli
 armatur.

I Ilicet

130 MOYSES VIATOR.

Mich:ël Ilicet ante omnes Michaël radiantibus armis
 Dux. In media stetit Aegypto, cui dextera sauo
 Sap. 18. Fulminat ense, ferox, & inexpugnabile verbum,
 16. Imperiūmque Dei portans: labat undique tellus
 Pondere pulsa pedum, nubes quatit ardua cassis,
 Insistēnsque solo celsum caput inserit astris.
 Omnibus arma eadem, similēsque ardoribus ira.

19 Ut signum dedit hora polo, dirūmque per auras
 Hora & Clangorem sonuere tube, simul horridus armis
 signum Concussis, quatit astra fragor, quatit ima domorum,
 cædis. Fundamenta, volant tristes per tecta figura
 Horror Omnia, funestisque ferunt fera somnia monst̄ris
 rota A- Augurio; lethique genus, causaq; patescunt
 gypto. Dira sō- Excidiū. Simulacra domos armata per omnes,
 20. nia. Pérque casas, per sparsa in agris mapalia stragem
 Hortari visa, & trepidas vox perculit aures.

Angelorū Hæc domus absque nota; hi vacui custode penates,
 voces ad Nec sacer ingressu prohibet cruor; impia gentis
 eadē hor- Hic habitant Pharia scelera; hic sani assecla Regis
 tantium. Natio, crudelēsque fouens cum Principe mores.
 Isti etiam Hebrao maduerunt sanguine muri
 Ditati miserūm spoliis, fartique rapinis;
 Proinde domus deuota neci, ne parcite ferro:
 Sic Deus ille iubet, cuius tentata potestās
 Tot monst̄ris, & iam toties patientia lesa
 Puniūtur Perfidia populi, & dura cernice Tyranni.
 parentes Nunc soboles luat acta patrum, dominisque fa-
 in liberis. uentes

Et famuli, & pecudes pœnas cum Principe pendant.
 Peccatum est studio sobolis; maribusque peremptis
 Inferias mactate mares, qui germina prima,
 Et thalami flores primi fecere parentes.

20 Omnibus hæc tectis sparsa per somnia voces

Conturbant

Conturbant somnos, dirúsque cubilibus horror
 Excutit, aut agris nisos conatibus angit.
 Euigilant, & vera vident, vera arma, virósque
 Ardentes squamis, & non errantia tela
 Primigenum à iugulis, sortitáque vulnere membra
 Lethifero; confusa sonant clamoribus omnia,
 Et lacrymis; trepidi occurrunt ad spectra parentes,
 Effusæq; comas matres: ut quenque cubili
 Exturbauit amor sobolis, subitique timores
 Semianimem eiecere toro, nudúmque: voluti
 Ad genua amplexu ferrum conantur, & iras
 Hostiles inhibere; manus simulacra relinquunt
 Dilapsa in ventos, tenuique simillima fumo.
 Vulnera certa manent, verique in morte dolores.
 Dant gemitus, miseróque vocant clamore parentes
 Auxilio: plerique thoris percussa relictis
 In gremium matrum morituri corpora iactant.
 Conantes alios stratis exire, supinos
 Conatu in medio vires & vita fefellit.
 Defecere, thoroque caput posuere relapsum.
 Maxima pars onerant diris Pharaona querelis,
 Et leges, Amenophi, tuas, & ferrea Chenchris
 Pectora, qua Memphim toties mersere cruore,
 Quam decuit seruasse suo: deliria Regum
 Et scelera, immeritos plebti: sic quæsta inuentus
 Indignata mori ante diem: Dabis, impie, pœnas,
 Nec lentis veniet pedibus vindicta, sequeris
 Ocyus, & Manes veniet tua larua sub imos,
 Regales phaleras, cultúsque exuta superbos.
 Haud tamen incomitata peret Cocytia stagna
 Turba frequens, factisque tuis immanibus acta
 In furias odiis sæuos circumferet ignes,
 Stipabitque latus; nec enim sat tristibus hydris

Videt Æ-
 gyptij ve-
 ras mor-
 tes obie-
 ctas in
 somno.

Strages
 passim.

Questus
 morientiu.
 Diræ in
 Regem.

Pharao
 apud In-
 feros.

132 MOYSES VIATOR.

Tres furia in pœnas; addent incendia ciues,
Quos tua premittit Stygiis insania regnis.

21
Moriun-
tur indi-
gnabūdi.

Sic fati, toruos oculos, nec luce reperta
Auertunt, animasque irato è pectore pellunt
In manibus, gremioque patrum, nec tristia fata
Arte moras vlla inueniunt, tot funera nullum,
Triste nisi solamen habent, & mortibus ipsis

Magnitu-
do stragis.

Flebilius: pereunt uno tot tempore proles
Nobilium, vulgique, negat discrimina lethi
Vindicta confusus honor; iuuenesque, senesque,
Infantumque greges, & primo lucis in ortu

Horosco-
porū va-
nitas.

Carpuntur simul; imparibus natalibus astris
Inuenere pares obitus: quid sidera, stulti,
Fauista puerperis, habiles seruamus & horas?
Tam varia peperere dies, tot millia; fato
Abstulit vna dies, & eodem funere merfit:

Inflata
mortes.

DISCRIMEN fatis Virtus dat sola, Deusque.
Nulla domus sine strage fuit, causa omnibus vna,
Vna manus vindex: merito delicta parentum

Inflata
mortes.

Immerita soluunt proles, & flere peremptos
Vix licet in luctu, & lacrymis communibus; imo
Ambigitur, lethone simul foelicius illi
Occiderint, quam vita, quibus seruata superstes,
Vt patriæ spectent Erythraeo in gurgite bustum;
Nec iam flere vacat, pullasque inducere vestes,
Carminibus, mœstumque tubis indicere lessum,
Cum poscat Paana Themis, moneatque nocentum,

Pf. 57. 11.

Abluere innocuas scelerato sanguine dextras.

22
Pecoris
strages.

Iam pecudum memorare piget tot funera, quot non
Syrtibus in Libycis aestu voluuntur arena,
Africus insanis nubes ubi verberat undis.
Luxerunt sua damna Pales, Hippona, Diique
Capripedes, tardoque equitans Silenus asello,

Nam

Nam caulis scuit ferrum, & praesepibus altis.

Nec iam monstra Deum tutis Aegyptia templa

Defendunt adytis, eadem grassata per aras

Tempestas ultore Deo turbavit ab imis,

Eiecitque canis serpentum immania terga,

Tergeminosque canum rictus cum Cercopithecis:

Isiacis somnos abrumpunt apsides antris:

Aluri, muresque suis fugere latebris;

Faucibus elisis trahitur latrator Anubis;

Cumque suo custode simul raptatur Osiris.

Excusso modio patefacta Serapidis arca,

Fictilis ansati fracta est clepsydra Canopi,

Extra Niliacas Apin mors obruit undas,

Veraque detracto patet Isis buccula peplo;

Harpocrates tacet Inachiae sacra turpia vacca;

Anulsumque caput trunco premit indice labra.

Fulminibus simulacra ruunt contrita, soloque

Foedatis late sparguntur fragmina templis.

Dira Deum rasis conclamant funera barbis

Sacrifici, lacerant artus, atque unguibus ora

Foeda secant; totam pariter Mareotida miscent

Confusi planctus & lamentabilis horror.

Cum visa est sua cuique domus capta urbis imago:

Regia sed primum domus hoc impulsu tumultu;

Et primum Pharaona fragor conterruit armis.

Quinquaginta illi thalamis sine lege libido

Luxuriat, totidem partus fecere parentem;

Primigena matrum e gregibus, sed sanguine ceteris

Legitimo, Princepsque satu, spes prima parentum;

Primus amor, primisque timor splendebat Achoris

Ante omnes, tanquam mediis Sol aureus astris.

Respicit hunc fortuna domus, tenerasque paternis

Instituit malefida manus assuescere sceptris,

I 3 Impositumque

23

Dij Aegyptij strati, & simus lacra delecta.

Anubis: Canis Osiris. Serapidis arca. Canopi hydria.

Harpocrates.

Sacerdotum luctus & lamentatio.

24

Cades primogeniti Regis.

Achoris, haeres Pharaonis.

134 MOYSES VIATOR.

Impositumque docet folio proludere regnis.

Regine in thalamis amborum cura parentum

Carpentem somnos misero seruabat amore;

Cum vox excusso cum fulgure fertur ad aures.

Angeli
vox ad
Pharao-
nem.

Ergone sic semper Pharaos securus, & exsors

Ultrices exire manus, aut fallere speret,

Tot scelerum caput, & patria tot causa malorum?

Nunc tandem deprensa suo fera seua cubili

Det poenas: ruat auulsis spes vana columnis;

Succumbat mox deinde domus pater ipse ruinis.

FRANGENDVM est, quod nulla caput clementia mollit.

His simul excussus somnis, simul audit Achorim

Auulsum stratis gemitu & clamore querentem.

Achoris
casi que-
relæ.

*Me miserum! heu! quianam sic me, pater im-
pie, raptas?*

Quid merui? sic me genitrix infida relinquis?

En morior: natum patrius furor immolat Orco.

Hoc gemitu exanguis Pharaos, Reginaque cursant

Abrepti thalamo, trepidis occurrit Achoris

Saucius, atque animam maternis efflat in vlnis.

Similis
hyacin-
tho euer-
fo.

Oebalio qualis radians hyacinthus ab ostro,

Quem plauastro euertit sulcis immitis arator,

Aut subigens calcavit aper, sua purpura florem

Deficit, & pallens caput atro in puluere sternit.

Fletibus aula sonat, thalamis ex omnibus adsunt

25
Matrum
planctus.

Amentes luctu matres, vulsisque capillis,

Exertæq; sinus laceros infanda suorum

Corpora natorum communi funere plangunt:

Lymphatis coiére globis in compita ciues:

Seditio
populi.

Mox aulam clamore petunt: iam regia cingunt

Attria, moliti portarum immania claustra,

Deiecere fores; nec iam Pharaona tuetur

Maiestas, quin saxa volent in tecta, facésque,

Protinus

Protinus Hebraam laxet nisi carcere gentem,
Abrumpâtque moras omnes. Confusus, & amens
Strage sua peiora timet, populúmque furentem,
Instantémque odiis unius sanguine, Numen
Conciliare Pharo, gentique auertere pestem.

Id metuens Pharaon Procere extempore supplex
Ire rogat, qui Mosem orent instanter eâdem
Protinus Isacias educat nocte cateruas:

Cunctanti sternântque viam, & calcaria subdant.

Centum Oratores scissis in vestibus ibant

Pullati, rasisque comis, squalentiâque ora

Fœdati cinere, & lacrymis, ceu cara sequantur

Funera, vel direpta hostes dominantur in vrbe,

Et profugi loca tuta petant; sonat undique planctus

Horrida nox; passim per agros funalia lucent,

Funereaq; faces conferta cadauera monstrant.

Per medias vadunt mortes, luctûque fatiscunt.

Interea Moses Tribubus per castra paratis

Principibus mandata dabat, quibus agmina signis,

Quoque situ distincta viam vexilla capebant;

Promittitque via facturam ex aethere flammam

Auspicium: simul ingenti se nube columna

Igneâ sustulerit caelo, tum prima sequantur

Signa ducem, comitémque via: tunc impigra Iuda

Magnanimus vexilla Leo pratendat, & Austros

Excipiant altis pendentia sippara contis.

Fausta canent mox signa tuba: stent omnia iussis

Ordinibus, caelo fiat mora ne qua vocanti.

Aron agmen aget, primâque in fronte subibit,

Obtulerit quodcunque via fortuna periculum:

Terga tegam postremus ego, atque agmina claudam;

Hanc animam, corpusque meum vos inter & hostes

Obiiciam vallo medius, si praelia poscant:

Coactus
Pharao
Legatos
ad Moy-
sem mit-
tit.

Legatorû
habitus.

26

Moyfes
hortatur
suos ad
exitum.
Columna
promitti-
tur.
Quo or-
dine ag-
minis,
vexilla.

136 MOYSES VIATOR.

SED ducente Deo nihil est ex hoste timendum.

27
Accipit
Legatos
regios.
Mamylas
legationis
Princeps.

Hæc ait, & Phariis occurrit plangentibus ultro
Ipse gemens, lacrymisque rigans ingentibus ora.
Quem simul ut Mamylas venientem aspexit, adorat;
Et prior hæc. O Isacidum mitissime gentis,
In patriam, si qua est pietas; aut aduena quisquam
Hospitij memor, antiquis ignoscit amicis,
Hanc etiam patria noxam, pœnâsque remitte
Hospitibus; compesce animis cœlestibus iras.
Hoc Pharao supplex, hoc te iam exhausta precatur
Funeribus patria; aut si manus hospita tellus.
Confessos miserare reos, serôque fatentes
Armari tibi sidereas ad vota phalanges,
Arbitriisque tuis displodi è nubibus ignem.
Vtere iure tuo, cœlo quod iudice vincit.

Venia
plena ab-
eundi.

Duc, age, tolle moras, quo te populûmque iuberis
Sistere, duc pecudes, duc omnia, nulla moratur
Conditio: tibi iam plena est à Rege potestas:
Solue metu Memphim iam nunc, & protinus exi.
Sic ait: & contra Moses sic pauca loquutus.

28
Clades fi-
bi impu-
tent Æ-
gyptij.

Si quàm clara Dei fuit, ac testata voluntas,
Tam vobis etiam, Regique accepta fuisset,
Non esset locus his lacrymis; nec mutua damna,
Alternâq; vices nostras utrinque querelas
Huc traherent. Cœlo tandem lis tota dirempta est
Iudice: diuinis semper stat lancibus æquum,
ET QUODCUNQUE Deo visum decernere ius est.
Obsequimur iussis, ipsâque hac utimur horâ,
Optamûsque Pharo facile & placabile Numen:
Unum oro, quasôque meis edicere verbis,
Huius ne Regem venia, faustaq; diei
Pœniteat: ne fortè fidem cum pace reuellat,
Fundatâque fide malit defendere pacem.

Ne Pha-
raonem
pœniteat
venia da-
ta.

Talia

Talia dicentem crebrescens undique plandus,
 Confusæq; vigent lacryma; nam funera passim
 Conclamata iacent, nec dum compressa timorum
 Causa agit at trepidas per rura, per oppida gentes,
 Concursumque ruunt tectis, truduuntque morantes
 Isacidas, velut Aegypti pereuntis Erinnyæ,
 Fatalèmq; facem patriæ depellere certent,
 Voluentemve rogos tectis auertere ventum.
 Non tamen aut dictis audent, aut ledere facto,
 Ne grauius Superos in se, cœlique laceasant
 Inuidiam, crescantque nouis incendia flammis:
 Sed gemitu, lacrymisque humiles, largisque precantur
 Muneribus properare velint, & tollere secum
 Numinis infesti causas, & parcere victis.

Extemplo dant signa tuba victricia castris,
 Et lato clangore iubent ire agmina densis
 Ordinibus: latera & frontem lectissima pubes
 Occupat, in medium vulgus componitur agmen,
 Imbellisque manus, onerataque turba Canopi
 Exuuiis, pecorisque greges, aptataque plaustris
 Armenta: immuni nulla exit bellua dorso,
 Nulli humeri sine fasce viris, & nulla puellis
 Fasce vacat cervix: hilares secum omnia portant;
 Nec quenquam fortuna grauat sua; viribus equis
 Demensam sibi quisque capit, contentus abundè
 Sorte sua, fugit inuidiam; vultuque sereno
 Ingreditur gaudens tanti pars ire triumphi.
 Robora prima virum, sudans grauioribus armis
 Claudit terga phalanx; habiles obuertere pila,
 Stare gradu, fixaque acie, si terga sequantur,
 Excipere, & versis pulsare umbonibus hostes.
 Sed Phariis cecidèrè animi, mœstusque recenti
 Excussit strage arma stupor: conferta manipulis

29
 Vrgetur
 ad exitum.

30
 Exitus &
 ordo ag-
 minis.

Onustæ
 omnes
 spoliis.

Et læti sua
 forte.

Agmen
 extremum.

138 MOYSES VIATOR.

Quinis
ordinibus
quinquer-
niones.
Mirabilis
propaga-
tio gētis.

3000000.

600000.
armatorū

Prima
mansio ad
Ramesē.
Fœcun-
diores al-
ueis apū.

Providē-
tia fouit
sobolem.

Celeuma
apopem-
pticum.

31
Nubes, &
columnæ
exortus.

*Augent castra metus: quinos mirantur euntes
Ordinibus numeros, florentesque arcæ catervas.*

*Principiis adeo exiguis, nec tempore longo
Isacia tantam creuisse propagine prolem;
Nec potuisse odii, seuæque tyrannide Regum
Accidi; fecisse ipsis compendia damnis,
Uberiusque satam sua per dispendia stirpem!*

*Ter decies centena hominum se millia campis
Fundere, vix tribus & denis quater edita lustris.
Tot fato cecidisse suo! tot morte coacta
Ante suam periisse diem; tot flumine mersos!*

*Et tamen hinc sexcenta virum modo lecta sub armis
Millia stare vident, vacuæque relinquere Gesse
Ramessem, castris statio que prima locatis.*

*Quæ fœcunda adeo fundant aluearia gentem
Florilegam? quam mella cauis vadantia tophis,
Hybleique fouent flores, & roris amici
Ubertas, & temperies mitissima cœli,
Permulcent aure dulces, & flabra Fauoni,
Curæque Aristæi fragrantibus educat herbis,
Et nulla infestant pestes, neque prœlia turbant.*

*O cœlo genitam sobolem nutrice Pronœa!
Reptant emque Dei gremio custodibus astris!
Quam mare nauisragum parcentibus euehit undis,
Ipsæque tempestas optatis applicat oris.*

*Abiice iam limum manibus, luteosque labores,
Et sine depositam curare cadauera Memphim,
Effuge ducentem vanis sua funera pompis
Ægyptum; tu tende via, qua sidera signant.*

*Vix etenim euerso vallo se fuderat agmen
In campos, cum per tenebras descendere nubes
Visa polo, splendens radiis, quos plurimus igni
Accendit vapor, humentes ut temperet umbras*

Noctibus,

Noctibus, ignitòque vias sub tramite monstret:
 Illa cadens simul ingenti producta cylindro,
 Vertice sublimis sociis suspenditur astris:
 Inde basim terras versus largo agmine fundens
 Protegit Isacidas, & noctem lumine purgat,
 Sublustrémque diem castris sub tegmine prabet,
 Sive viam noctu carpant, seu fixa residant:
 SEMPER enim Sanctis virtutum semita splendet;
 Assiduis nox ceca malos obnubilat umbris;
 Impietas chaos ipsa sibi est: scelera atra tenebra.

Sap. 4. 18.

Nunc age, dic, Diva Vranie, cui sola voluptas
 Ætherias lustrare domos, & sidera certo
 Fixa situ, vel per liquidos palantia tractus
 Astra sequi, sermare vias, & discere cœli
 Concentum; quantumque vagi trux flamma cometa
 Dissideat stellis, nebulaq; volatilis ignes,
 Sive volent capre, seu foeta phalarica flammis.
 Fare, age, bis gemina fuerit qua nubis origo?
 Qui mores? quòdve ingenium? qua mystica lampas?

32
Quale il-
lud Me-
teorum.

Vrania.

Conscia siderea contra sic Musa chorea,
 Nocturno cui rore comas stellata madentes
 Vittæ premit; vitreo in manibus crystallina mundo
 Sidera, & obliquo cinctu vestem aureus ambit
 Balthens, hinc senis asper, totidem inde figuris,
 Et croceo circum subtexit simbria limbo.

Vrania
causas
nubis &
columnæ
explicat.Vranie
cultus.

Quisquis habes oculos, inquit, Fideique patentem
 Auditum, & stupidis puras à facibus aures;
 Suspice diuina donum mirabile lucis,
 Accensam allucente Deo mirare columnam
 Subtilem vapor in nubem cœlestibus altè
 Eductus radius purâ concrevit in athrâ,
 Lunarémque globum subter sublime pependit
 Conspicuus; ductor que via, castrisque locandis

Columna
& nubes
typus Fi-
dei.

Materia

Locus.
Finis.
Dux via.

Metator,

140 MOYSES VIATOR.

Castra
metatur.
Officia
columnæ
& nubis.
Oraculū.
Thronus
Dei.
Eccli. 24.
7.
Umbella.

Vices tē-
porum.

Lucerna
publica,
priuata.

Firmitas
& constā-
tia inui-
ta.

Basis fir-
ma.
Motor so-
lus Deus.

Ambula-
toria lux.
Duratio
eadē, quæ
itineris &
viæ.

*Metator, populi custos, & gentis asyllum,
Atque idem scelerum vindex; cortina mouendis
Sortibus: hoc diuina thronum Sapientia templo
Constituitque sibi, populisque oracula promit:
Inde vices operum mandat, somnisque quietem:
Huc reuocat fessos; hinc rursus ad ardua mittit
Præua lux, auspexque suis, flectitque viarum
Ambages, & circuitus, duce Numine, monstrat.
Nunc populos umbella tegit, neu Syrius vrat
Æstiuæ sub Sole die, neu frigidus vdo
Sub Ioue nocturnis aër incommodet horis.
Clara die nubes radiis insignis, & auro
Excipit aduersos densa lanugine Soles,
Spiculæque infringens, moderatâ combibit umbrâ.
Nocte nitens flammâ, sectis in compita castris
Fungitur officio fide suspensa lucerna,
Cunctâque priuatim se per tentoria fundens,
Et priuata regit communi, & publica luce;
Nec locus est usquam tenebris sub nube columna:
Illam nec rapidi possunt conuellerè venti,
Nec gelidis discerpere hiems vafana procellis,
Nec niuibus carpsit Boreas, nec grandine fregit,
Non Auster soluit pluuiis, non tristis Orion
Imbribus exhaustit, nimbofo aut Pleiades astro,
Proxima nec rapida mouit vertigine Luna,
Non Sol consumpsit radius, aut ebibit æstas:
Fixa basis, stabilisque situ, ceu terminus heret,
Donec eam migrare loco, qui Spiritus intus
Arbiter, & certis iubeat decurrere metis.
Hoc signo se castra mouent, & rursus eodem
Stante locum capiunt fixis tentoria clauis.
Illa Dei domus, hoc solium est, hoc inclyta cœli
Maiestas medios inter dignata morari*

Isacidas,

Ifacidas, totisque octo se ostendere lustris.
 Illa penus castris, hæc frumentaria nubes,
 Unde annona quater denos est sparsa per annos.
 O domus! ô soliumque Dei luce inclyta nubes!
 Lux nebulosa Dei clara in caligine sedes
 Hostibus igne minax, & blandus fulgor amicis,
 O quam dulce sequi tua per vestigia Numen!
 Quamque tua vel dulce mori, vel viuere in umbra!
 Dixerat Vranie: solio sublimis in alto
 Abramidum ductor medio confederat igni,
 Inde mouet, flectitque acies sub nubis amictu.
 Inde venit sanctæ Fidei insuperabile robur,
 Inde animi ductore Deo, quin ipsa columna est
 Dîa Fides, nobis immobile firmamentum,
 Veri prima basis, summo quæ vertice tangit
 Sidera; quæ lucem speculari in nube refringit
 Ingenitam, genitamque Deo; quæ lumine blando
 Signat iter cœli, cursumque intendit Olympo.
 Te sequimur, diuina Fides; tu lampade noctem
 Errorum, scelerumque fugas; tu lumine certo
 Dispescis chaos, & media in caligine splendes.
 Te sine mortales nec spes lactauerit vlla,
 Nec diuinus amor casto calefecerit igne,
 Nec solida vlla polo tulerit fastigia virtus.
 Tu verum, iustumque doces; tu regula vite,
 Vitæque iustorum diuinâ viuida flammâ.
 Lecta tibi sedes Petri inuiolabile saxum:
 Hac Petra sedet ima basis; totum inde per orbem
 Conspiciuâ assurgens cœlo stat luce columna,
 Quam sequitur peragrans vastas Ecclesia terras:
 Inde petunt gentes lucem, inde Oracula poscunt.
 Illam nec Stygiis caligo effusa cauernis
 Offundet tenebris, non cæcus subruet error;

Horreum
annonæ.

Sedes &
domus
Dei in
via.
Terribilis
hostibus.

33

Angelus
Dei per-
sonâ ge-
rens in
columna.
Fidei
Christia-
næ ductus
& robur.
Fides
columna.
Speculû
nubis.

Fidei lux.

Sine fide
nec spes,
nec cari-
tas.
Fidei do-
ctrina.

34

Fidei in
S. Petri
petra im-
mobili
fixa sedes.
Inde am-
bulat fi-
des.
Firmitas
fidei S.
Petri.

Non

142 MOYSES VIATOR.

Non vis vlla virum poterit discerpere ferro,
Non centum gemino fratre adnitente Typhæus.

Ipse Deus fixit, quo sustinet omnia Verbo.
Ipse basim seipso solidat, scapulumque, caputque,
Dum voluet Titana labor, dum fœdera mundi
Servabunt elementa, Fides inuicta manebit,
Nec nisi possesso sanctis vanescet Olympo.

Fides de-
finit in
caeli in-
troitu.

Nam, cum clara Dei veros presentia vultus
Obtulerit, speculi & nubis cessabit imago;
Nec speculo pascetur amor, cum Sphinge soluta
In solidos ruet amplexus aeterna voluptas.

LIBRI